

PRIMA Petitio.

SI fuerit primi ad secundum, ut tertij ad quartum, & ex primo in secundum producatu æquale, aut maius, aut minus primo, uel secundo, producetur eodem modo ex tertio in quartum æquale aut maius, aut minus tertio, uel quarto eadem ratione & ordine.

Secunda petitio.

Proportiones possunt duci, diuidi, iungi, & auferri, & sumi radix in eis cuiuscunque generis, atque earum quantitatis, ut libet, posse transponere.

Tertia petitio.

Proportionis cuiusuis nomen à denominatore supra scripto, & numeratore infra scripto sumitur.

Quarta petitio.

Diuisa quauis quantitate per aliam eiusdem generis, quod exit proportio dicitur.

Quinta petitio.

Quelibet proportio est uel inter duas quantitates, uel per unam significatur.

Nam per tertiam petitionem si sint duæ quantitates, quæ non habeant unius rationem, nomen sumit proportio à duobus numeris, sin autem sit altera monas, erit per secundam animi communem sententiam, proportio numerus ipse. Ideo patet, quod dicitur.

Sexta petitio.

Proposita proportione quacuncq, & monade quantitatem inuenire, quæ se habeat ad monadem in proportione proposita.

Nam cum per quartam petitionem diuisa quantitate per quantitatem exeat proportio, & numerus ad monadē se habeat, ut proportio, ideo sumpta monade secundum illum numerum, ille numerus est quantitas quæ sita.

Septima petitio.

Quamlibet quantitatē per aliam eiusdem generis diuidere posse.

Octaua petitio.

Proportionem in proportionem ducere posse: quamuis sint inter quantitates diuersi generis.

Quod dicitur de multiplicatione intelligendum est de alijs operationibus supra enumeratis.

Nona petitio.

Monadem semper sumere in quocunque genere posse proposita proportione.

A 3 Nam